

**Ingenuae Pietatis Lacrimae Viro ... Dn. Johanni Klein Icto ... Pandect. Profess.
Publico ... Cum Filiolam Suam ... Wendulam Catharinam Kleiniam ... Ipso
Funerationis Die 18. Decembr. MDCXCIX.**


Rostochi[i]: Wepplingius, 1699


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771558112>

Druck Freier  Zugang



Müller, C. M.,
in W. C. Klein.
R. 1699.





INGENUÆ
PIETATIS LACRIMÆ
VIRO PRÆNOBILISSIMO CONSULTISSI-
MO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNI Klein

JCTO CELEBERRIMO, PANDECT. PROFFESS. PUB-
LIGO & CONSISTORII DUCALIS MECKL.
DIRECTORI, GRAVISSIMO
CUM FILIOLAM SUAM DULSSIMAM PARI-
TER atq; DESIDERATISSIMAM

WENDULAM

CHARITATIVAM KLEINIAM



EXTINCTAM MORTE EFFERRET

IPSO FUNERATIONIS

DECEMBR. MDCXCIX.

EXHIBITÆ

à

DOMINIS PROFFESSO-

RIBUS COLLEGIS ATQVE

DOCTORIBUS



ROSTOCHI,

LITERIS JOH. WEPPLINGI, UNIV. TYPOGR.

DUM VIR MAGNE Tuos funestat Circa Penates
Atropos, & natam præcipitata rapit.
Me quoque non parvo correptum sentio luctu,
(Sic Pietas à me poscit, & arctus amor,
Poscit & hic Socium ut Mihi Te in solamine reddam.
Et jubeam nubem pellere corde nigram,
Mors lacrymas ridet nullo exorabilis ore
Surda est ac nulla vincitur illa prece.
Quid! quod in augustis æterni Numinis hortis
Quam TU adeò luges nunc CATHARINA viret?
Quæque Tibi fuerat flos hic suavissimus, illa
Majori in cœlis splendida flore nitet.
Pone igitur lacrymas, nec tantos illi invidere honores.
Qui rapuit, reddet pignora, crede, DEUS.

*In obitum PUELLULÆ LECTISSIMÆ hæc
animo lugubri apponere voluit*

CASP. MATTH. MULLER; D.P.P. &
Academiæ h. t. RECTOR.

Nobiliss. & Excell. DN. D. JOH. KLEINIO,

76to Magno,

Ipso Mense Decembri, pauloque ante Natalem DOMINI,

Filiolæ bienni WENDULÆ CATHARINÆ

exequias paranti

Salutem & Solatium!

CLEINIUS: Anagr. IN LUCE IS (i.e. incedis)

Sic nihil hîc constans! miscentur tristia lætis!
Miscetur luci crux, VIR amice, Tuæ,
Lux Tua sat lucet, quia Juris lumen haberis;
Ast in luce tamen crux Tibi magna manet.
Crux Tibi filiolæ mors est. Quæ gaudia nuper
Hæc dederat? quàm nunc funere versa jacent?

In

In cruce sed nobis uti lux consuevit oriri:
 Vos cruce castigat, diligit hosne DEUS?
 Sic & in hac cruce Te lux & solamina fervant:
 Lux amor est DOMINI, erux bona multa docet.
 Incedas * igitur cruce tactus lenior usque,
 In cruce non parvus, sed mage magnus eas.
 Magnos magna decent: patientia maxima virtus:
 Hæc vincit; Victor magnus ubique viget,
 Anne silens † odiam vinctes? Ita vince silendo
 Jam quoque quod damnum trux Libitina tulit.
 Scis placuisse Deo, qui damna rependit: Is unam
 Abstulit ex senis, reddere quinq; valet,
 Reddetur quoq; quam desies, Tibi pulchrior olim,
 Buccina Supremi cum resonabit epos.
 Interea soletur Avos, Matremq; Patremq;
 Natus in exigua maximus urbe DEUS!
 Functâ jam Mœstis de Virgine gaudia firmet
 Idem de casta Virgine natus Homo!

* Joannes
 Cleinius, D.
 Anagr.
 an lenis
 incedo?
 † Joannes
 Cleinius, D.
 Anagr.
 Vincen?
 odia silens?
 (vincen pro
 vincens est
 uti
 audin pro
 audisne?)

LMg,

A. D. HABICHHORST, D.



Cui suâ contingit maturo lumina lecto
 Solvere & extremum claudere in orbe diem,
 Is citò turbatis optato fidere rebus
 Subirabitur, nec cum longa pericla manent,
 Integer ante diem Divinâ is voce vocatur,
 Ex Pelago subijt liora grata truci.
 Ergo Temeritò felici sorte beatam,
 Qveniteas cunctis, parva puella, bonis
 Predico; namqve brevem dubii post luminis usum
 Aeternum solida schema salutis babes.

Dolorem suum in præmaturo optimæ Filiolæ obita
 moestissimis Parentibus testatur
 JO, FECHT D. P. P. Consist. Duc Adseff.
 & Distr. Rostoch. Superint.

VIRO Nobilissimo, & Celeberrimo, JOH. KEESII. U. D. & P. O. & C.
Collegæ, Fautoris, atq; Amico Honoratissimo, scilicet
Filiolæ obitum lugenti, solaminis & officii causa.

JOH. PETR. GRIMMENBERG, D.

OMnibus hæc vitæ præscripta est regula vivis,
Fati percelerem mente tenere rotam.
Fletum, dum flemus, rumpant nova gaudia lente;
Sunt, cum gaudemus, tristitia prompta sequi.
Sic de TE factum, contra vim (a.) nominis AMPLE,
Qvem MAGNUM dici Jura benigna volunt.
De Nato fueram TIBI vix gratatus AMICO;
Tristius officium jam *PIA*NATA jubet.
Bellula NATA cadit vix annum nata rotantem,
Annus EI interris haud revocandus iit.
Ast *Eadem* (magno fruior solamine!) vivit,
(b) ANNUS EI IN COELIS degitur absq; rota.
En, TE quod nuper fatale anagramma docebat,
Non sine momento, non sine fruge fuit.
Certe epulas inter (c) moriendi mentio facta
Tunc TIBI, *Filiolæ* nunc anagramma dedit.
Nec tamen indoleas nimium, quod inertibus annis
Occiderit: tanto est dulcior illa polo.
Non annis, non crine fuit; probitate renatâ
Infans canatamen, caraque facta fuit.
Delicium, non lessus erat. Voco (d) nomina testes:
HÆC UTI CARA fuit NENIA (e) NULLA DEI!

(a) KEESII. (b) JOANNES CLEINIUS
per Anagr. ANNUS EI IN COELIS.

(c.) d. 27. Nov. in adibus Max. Rev. Dn. D. Habichtborstii.

(d.) WENDELA CATHARINA CLEINIA. per anagr.
HÆC UTI CARA! NENIA NULLA DEI.

(e.) *Nenia*, *vivua*, usi notum, saepe est lugubris demortuo gemebundorum
querela: qualem non probi beatè defuncti, sed improbi desiderare possunt.

* * * * *

*Ad piè Defunctæ Nobil; Dominum Parentem
Collegam amicissimum.*

Defunctæ Natæ Lacrymis dum funera defles,
Valdè eqvidem doleo, nec doleo immeritò,
Vix etenim data hæc, proch, quàm citò rumpitur ætas,
Sic est Latitiæ junctus ubiq; dolor;
Nil firmum fatis, aut stabili munimine tutum;
Omnia in humanis dubia, cuncta nutant:
Parce tamen lacrymis, animum recollige tristem,
Mæstè Parens, rectâ scandit ad astra viâ!
Translatum quid èo qvereris, quò Tu ipse seqveris?
Mitescet posthac tristitia Fata, DEUS!

Condol. E. pos.

A WILLEBRANDT, D. P. Jur. Publ. Ordin.

Viderat æthereum vix dulcis parvula solem,
Matris amor, Patris delictumqve sui,
Vix sua per blando tremebunda labellula risu
Pandit, & ingreditur vocis inertis iter;
Mammam molliculo blæsa flexamine lingvæ
Atqve Tutam parili simplicitate sonans.
En rapit hanc subito Lachesis, quæ legibus instans
Eximium terris nil finit esse diu

honoris ergo apposuit

MATTHIAS Stein / D. P. P. & p. t. Decanus.

Immò a se, proprii, dolor est amittere partem.
Visceris, atq; aliqua parte perire sui.
Attamen hoc lenire vulnus, quod providus istas
Nobiscum soboles dividat ipse Deus,
Quo sint ex nostris, qui, postquam vita peracta,
Nobis gratentur Regia tecta poli.

His vulnus Consultissimi DN. KLE'NII, Collegæ
ac Compatriis honoratissimi lenire voluit

JOH. JOACH. SCHOEPFFER. D.

V Ah! quantos damnosa movet Libitina dolores,
Quam citò deripitur KLEINIA NATA suis!
Et teneram prolem, quæ, quid sit vivere, nescit,
Sub leges revocat proh! Libitina suas.

Ibimus in lacrymas, lacrymæ properate frequentes,
Diffuat in luctus carmen & omne decus.

Sed quid flere juvat! facit hæc divina voluntas,

Cujus ab ætherea vitaq; morsq; manu.

Functa fit exemplum, quod nobis instet adultis

Mors, & quod nulli parcere fata velint.

Ergo quid superest? moriamur, iussa sequentes,

Quò nos ire jubent, nostraq; fata trahunt,

Cum turbis requies mutatur, curaq; cessat,

Ejicitur procul hinc cordivorusq; dolor.

Gaudia cum luctu, mutatur carcere cœlum,

Illuc dulce seqvi, cum DEUS inde vocat.

Ille Tibi, Fautor, Tua cœtera Pignora quinq;

Servabit, plures filiolosq; dabit.

inter lacbr. p.

JOH. BARNSTORFF. D. & P. P



V *Ix duo præteriere anni, Collega colende,*
Cam parerei gnarum Costa pudica Tibi;
Sed nunc Filio lam tantillo tempore lapsa
Spe citius gelidâ mortâ perisse, ferunt.

O duras partes! ô tristia fata Parentum!

Hac quis non doleat, condoleatq; Tibi?

Cur non consistear, quàm seni humana caduca,

Quàm subito lapsu, quæ valere, ruani?

Sed quid iam facies, KLEINI, celeberrime Doctor?

Flebis, ceu Pictas Te jubet atq; decet?

Rectè; sed stans flendi sinemqve modumqve,

Quod DEUS imposuit ser patienter onus.

Ille meo facili, veluti sacra Pagina monstrat,

Quos contristavit, laticicare valet.

LMq; apposuit

BERNH. BARNSTORFF, Med. D. PP. & Poliater.

Fallaci stant cuncta loco! quam Vita caduca est
Sepeque sub medio flore repente cadit.
Cernimus, exemplo est defuncta tenella Puella
Debit hac nondum poplite firma mori.
Sic est Vita fugax, sed maximus ipse Creator,
Hoc tristi luctu det meliora precor:
Conseruaq; sua mitis bonitate Parentes,
Quorum iam mordax pectora luctus habet.
Soletur nimias lacrymas, minuatque Dolorem
Fata secunda suis retribuendo piis:

immaturum obitum BEATÆ sincere dolens scr.
GEORGIUS DETHARDING Med. Doct.
ejusdemq; Profess. Publ. Ducal. h. t. Decanus.

Sie was wachsen sol zu einer süßen Frucht/
Durch deren Saft wir uns gedencen zu ergetzt/
So wird mit großem Fleiß bequäme Erd gesucht/
Dahin des Gärtners Hand die Pflanze möge setzen:
Und wenn Er diese finden kann/
So gehet sofort das Pflanzen an.
Sehr Werthgeschäger JEHND! ER dencke diesem nach/
So wird Sein Herze sich in etwas können stillen
Dieweil sein Hoffnungs Reiß aus diesem Ungemach
Sehr wohl verschet ist nach seines Gutes Willen.
Es ist ins Paradies gebracht:
Ist dieses nicht sehr wohlgemacht?
Aus Mitleidigem und zu allen Diensten geflissenem Gemüthe segte dieses
A. J. Kraevitz / Eq. Meckl. S. Theol. D. & Hebr. P. P.

Nosti, Vir prudens, animi compescere habenā
Luctus, dum Tua jam Filia fata subit.
Haud levis hic dolor est, fateor, sentire tenellam
Filiolæ corpus deseruisse animam.
Sed Tibi persuades, quod sola putamina desint,
E contra nucleus nobilior maneat.
Est & sic certè, non dedidit optimus ejus
Spiritus, ast adit regna superna Poli.
Ergo nunc Tua perlaudo moderamina, KLEINI,
Optans sanctæ Animæ sabbatha sacra DEO.

Lugens f.

J. A. CROHN D.

Quicquid moritur, moritur bene : Vivere longam
In terris vitam, nil nisi pondus erit;
Ergo quando vides, CELEBRIS VIR, membra ca-
Filiosa, noli flere; beata jacet. (dendis
Sed quid dico, jacet? Spernens mortalia vincit.
Vix Rosa facta soli, fit Rosa grata Poli.

Intensissimum luctum ac propensissimum affectum

Magnis Parentibus testatur, hac fudit

CHRISTIANUS HILTEBRANDUS, Prof.

Duc. Ord. P. & Facult. Sophicæ Senior.

Florum si fuerit quis ventô agitante revulsus
Rarior, Horticolæ mens fremit atque dolet,
Ast residet, si forte manu demessus Amici
Dulcis, qui gratô cœpit habere loco.
Conjugium est hortus: soboles suavissima flos est,
Horti insignis honor, delictumque iuge.
Hanc si lethiferâ marcescere cernimus aura,
Anxia cum lacrymis pectora mœror habet.
Mirum! namque favens secum hanc abstraxit Amicus,
Inque manu recreans fertque fovetque DEUS,
Inter & amplexus sèves & munera Divûm
Sancta Redemptori hæc oscula mille facit.
Ah! sobolem frustra dulcem deflemus, ubi illam
Scimus amare Deum, scimus habere DEUM.


Ad demulcendos Nobiliss. Parentum animos valde contristatos scri-
Imque

M. JACOBUS Burgman/P. P. & ad Æd. Nic Eccl.

Hic inter Lacrymas sedet & suspiria Cæsar.
Gaudia sic inter sedet & suspiria Noster
KLEINIUS Excellens. Natus dum nascitur ipsi,
Gaudia, denatâ Natâ, suspiria ducunt,
Ac ut lætitiæ nos gaudia junximus nostra,
Sic quoque jam lacrymis lacrymas sociamus obortis,
Optantes, lacrymas ut gaudia mille sequantur.

Ad contestandam observantiam suam lugens scri-

M. Z. GRAPIUS, P. P. & ad D. Jac. Cathedr. Archid.



GUSTAV KOCH
Buchbinderei
ROSTOCK.

hujus anni, abiit, morte opp
cubuit sic vix Orta fugit.
hac miseriarum valle, migrav
nebris hujus soli ad lucem ve
inibi celebratura Festum incar
HOMINIS non cum hominibus
Angelis: Interim satis gravi tr
slictum hic reliquit Patrem *Viru*
bilissimum, Consultissimum, Amplissim
Excellentissimum DNUM. JOHA
KLEINIUM, J. U. D. Pandect
famigeratissimū Consistorii D
rectorem gravissimum, Colleg
patrem atq; Amicum estimat
quem utpote de Academia no
tidie magis magisq; bene mere
us T.O.M. in salutem & incre
Academiae nostrae diu sospite
superstitem velit: nec mino
hic inopinatus suavissimae Filio
affligit Matrem *omnibus sexum hu*

X 2

